

a choro dilectissimarum virginum amoveamus. Quin ergo in usum nostrum hic convertimus, quod iam Eustathius ad Homer. I^l. a. p. 18 observavit: ὅις μὲν τὸ εὐγενὲς καὶ βασιλικὸν αἶχνος ἐνέπρεπεν, ἐκ Διὸς τούτους ἐπόιεν κατάγειν τὸ γένος. ὅις δὲ λόγος ἐνέλαμψεν, Ερμῆς τούτοις ἐξελαλεῖτο πατήρ — ὁ μυστὸς ἀρχῶν, εἴτε καὶ μωντικὸς καὶ ιατρικὸς, Ἀπόλλωνι παῖς ἐπεγράφετο — — — τοὺς ὄδηκτος ἦτοι ποιητικὸς Καλλιόπη ἡ Τερψιχόρη παιδοποιησαμένη ἦγεν εἰς Φρεάτορας. Quin probamus, quin calculo nostro dignamur, quae annotavit August. van Straveren ad auctores mythographos latinos p. 14, nempe Sirenas Musarum filias eadem de causa nuncupatas, qua Linus Appollinis filius dicitur, qua Hymenaeus, Ialemus et Orpheus, Appollinis et Calliopes filii. Quicunque ergo vel canendi peritia vel carminis pangendi excelleret, is Musarum, ac modo Calliopes, modo Terpsichores etc. filius dicebatur.

Quod si desperarem huius explicationis allegoricae remedio, me novem Camenis perpetuae virginitatis decus asserere posse, memor eorum, quae de Clio tradit Apollodorus I, 3. §. 3, non equidem pugnandum mihi cum poeta existimarem, qui hanc sententiam pronunciavit:

— — Nulla reparabilis arte

Laesa pudicitia est: deperit illa semel.

neque fingerem, aditum ad Canathium fontem Musis aequa, ac Iunoni, patuisse, quam virginitatis amissae damna reparasse quotannis ferunt lavantem in eo fonte, Pausan. II, 38 p. 201: non tamen in eas augustias mihi compulsus viderer, ut aut his, qui Musas virgines, aut his, qui easdem matres, dictitant, dicam esse impingendam arbitrarer. Fert hoc et latini et graeci sermonis ingenium et usus, ut virgines dicantur nuptae, etiam quae pererunt. Virginis nomen non est semper integritatis, sed saepe viridioris aetatis. v. Servius ad Virgil. Ecl. VI. Cuius vocabuli hanc vim esse docent plures, praecipue Broukhusius ad Propert. IV, XI, 52: Drackenborch. ad Sil. III, 435: Grotius ad Matthaicum I, 23.

Postquam per ista prolusum est, indicandum restat, constituisse orationes publice recitare aliquot iuvenes, qui nonnullas Musarum artes in Schola Thomana non sine aliqua laude coluerunt, simulque erga Scholae huius nutritores et patronos pietatis suae documenta gratiis agendis dare. Horum nomina sunt:

IO. CHRISTOPHORVS PFENNIG, *Salissens, Thuring*

IO. HENRICUS KVTNERVS, *Plissa Misn*

HENRICVS SIGFRID BVRMANNVS, *Mutscha Misn*

AVGVSTVS GVILIELMVS EPPENDORFERVS, *Geringswalda Misn*

CHRISTIAN. GOTLOB KLEINIVS, *Leisnicensis Misn*

IO. GODOFREDVS STEINIUS, *Betzicensis Saxo.*

Hos ad audiendos, ut rei scholasticae patroni ac fautores frequentes convenire dignentur, quantum precibus, quantum observantia, possumus, etiam atque etiam rogamus.

Antiqua. Sec. 181, 34.